



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Maria Magdalena 22. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

456 VITÆ SANCTORUM. 22. Iulii.  
servitia tam nobilia rex ipse Dagobertus  
invidit. Cum bonâ igitur hujus veniâ de-  
inceps compluria Cœnobia WANDRE-  
GISILUS nobilitavit, unum etiam  
ipse extraxit Fontinellense dictum, & sub  
signis monachos CCC. numeravit. Ha-  
buit verè ad hæc hortatorem Angelum,  
qui & testem se rectè factorum & verò  
apud Superos præconem etiam fore pol-  
licitus est. Interea, qui Divo necem  
parabat regio saltui. præfectus, à ma-  
logenio correptus, sospitatorem WAN-  
DREGISILUM sensit. Annonam egen-  
ti monita à cælo Regina Blitildis mi-  
sit. Æger acie tamen dæmonum aciem  
vicit, & de victoriâ gratulantes Cæli-  
tes audivit. Demum ne de cælo ipso  
dubitaret, triduo antè hoc visum est  
morituro patere. Ex Surio.

*Multi de Deo sperant pecuniam; multi  
de Deo sperant caducos honores & peritu-  
ros, aliud quidlibet à Deo præter ipsum  
Deum: sed tu ipsum Deum tuum pete. Re-  
linque omnes amores, pulchrior est ille, qui  
fecit cælum & terram. S. Aug. in Ps. 39.*

S. MARIA MAGDALENA.

22. Iulii.

MAGDALENA, quæ omnium in  
spem peccantium animos erigit,  
utinam etiam in pœnitentiam erigeret.  
Tantum lacrymatum potuit lavacrum,  
cùm

22. *Iulii*. VITÆ SANCTORUM. 457  
cū aquas amor oculis deplueret à flam-  
mis suis calentes, cū ingeniosus è ca-  
pillis lintea texeret. Ergo tot dæmonum  
malorum nuper hospitium, *Christi* fit  
Hospita, hujus sermonibus frui & amo-  
ribus digna est, ab hoc apud Simonem  
de audaciâ, apud sororem de otio, apud  
Iudam de prodigalitate accusata defen-  
di semper meretur; apud hunc fratri  
defuncto vitam exorat, hunc nardi odo-  
ribus recreat, ministra par Iudæam se-  
quitur, & in crucem sequitur; hîc pe-  
des lacrymis iterum lotos, iterum oscu-  
lis siccatos tumulo condit dolore plena,  
mox redivivos ambit gaudiis ebreja, &  
lætissimi nuntii ad Apostolos nuntia.  
Quid? quod hunc etiam ipsa Apostoli  
vices functa in ipsas usque Gallias Massi-  
liam portavit, & populos nova amoris  
magistra amare Crucifixum docuit. Hunc  
illa inter silvas maximè & loca sola ve-  
nabatur, & in undo lectulæ Crucis,  
quam illic loci Angeli defixerant, inda-  
gabat. Audires jam saxa edocta & littora  
barbara *Jesum* suspirare, *Jesum* inge-  
minare; cū interim sæpiculè hic ad  
Dilectam è cælo inviseret, illa sæpè sæ-  
pius ad Dilectum ab Angelis maëre, tan-  
de min cælos etiam raperetur. *Ex Evang.*  
*& Silo. Prierate.*

*Si nos esse peccatores novimus & esse no-*  
*lumus, podibus Christi demus lacrymas,*  
*figamus oscula, pietatis oleum totâ de-*

Ff 5

otione

458 VITÆ SANCTORUM. 23. Iulii.  
*votione fundamus. Imitemur Magdalenam  
quam conspicimus non solum caruisse pec-  
catis, sed ad sanctitatis verticem pervenisse.* S. Petr. Chrysol. serm. 2. de S. Magd.

S. BRIGITTA Vid.  
23. Iulii.

**V**ixdum septennis erat BRIGITTA,  
cùm jam coronâ donari meruit à celi  
*Imperatrice.* Hæc eadem acu pingenti in  
opere adesse Magistra visa est. quidni ab  
hac Pallade edocta pulchrè pingeret? Eo-  
dem ferè tempore *Christum* velut tunc  
primùm in crucem suffixum vidit, di-  
citam tem facinus hoc eorem esse, qui  
suos amores negligenter, mundi sectaren-  
tur. Inde illa dolenti tam condoluit, ut  
quoties patientis mentio fieret, testes  
continuò doloris lacrymas daret, feriâ  
item VI. semper plagas animi nudaret,  
corpusculum ardenti cerâ perfunderet,  
herbas ore manderet amatissimas gustui,  
sed quas medicus amor condivit. Viro  
nupta vitâ egit tam sanctam, ut obstetri-  
cantem è cælo manum commodare *Vir-  
go* parienti non dubitarit. Ipsa Matris of-  
ficio tum se functam putavit, cùm *Deo*  
prolem transcripsisset. Filium certè, cui  
lacrymis cælum emollierat. ipse *Deus* fi-  
lium lacrymarum vocavit. Iam quoties  
illam loqui homini contigit graviori la-  
be asperso, oberrare ipsam naribus  
Mephi-